

DE VENERABILI EUCHARISTIAE *SACRAMENTO*

THEOLOGICAE CONCLUSIONES

EX PER BREVI CAPITIS SEXTI EVANGELII SANCTI JOANNIS PARAPHRASI

A B. JOANNE TENA, ET MALDONADO,

EMMANUELE MARIA CAVALERI,

THEOLOGIAE, JURISQUE CIVILIS DOCTORE, AC SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETE MODERANTE,

IN REGIA HISPALENSI ACADEMIA PRO ANNIVERSARIA CONCERTATIONE KALENDIS OCTOBRIS,

ANNI MDCCXCIX DEFENDENDAE.



Præbito permissu, et Regii Censoris approbatione: Hispali excudit Typificus Major, ejusdem civitatis.

Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?

Zachar. cap. 9. v. 17.



Prooemium in Caput sextum Joan.

De corpore, ac sanguine Domini nihil dixit Joannes Domini nostri Jesu Christi passionem commemorans, sed plane alibi multo uberius, ajebat Augustinus. (a) Hîc locutum esse Evangelistam interpretabimur: tota fere hujus capitis litera,(licet renuant Cajetanus, Jansennius, Gabriel, atque Ricardus) de misterio corporis, et sanguinis Domini Jesu cum Augustino, Hieronymo, pluribusque clarissimis veteribus, et recentioribus interpretibus intelligenda venit: Quam quidem ex versu quinquagesimo secundo, et deinceps de hoc venerabili sacramento omnes fere Patres intellexere: Quae vero de mira-

(a) Lib. 3. de consens.

raculo quinque panum tradit Joannes de Ostiae Sacramento mistice; coetera auten Jesu verba cum Capharnaitis habita de coelesti pane manducando, Augustissimo Eucharistiae misterio cum clarissimis Doctoribus, et interpretibus accomodabuntur.



v. 1. POST unum ferme annum, ac patratum fuit à Christo Domino miraculum multiplicationis panum, secundum praedicationis Jesu Christi refert Joannes mira, ac doctrinam populis exhibita trans mare Galilaeae, Genesareth, idem ac mare Cinereth veteri testamento notissimum, *quod est Tiberiadis*, civitatis Tiberio Caesari dicatae, ut refert Josefus (a): trans mare, seu ingentem lacum, per quem transit fluvius Jordanis: Quod etiam ut ex Alcuino accepimus mare turbulentum saeculum quod Christus Dominus adit nascendo, calcavit moriendo, transiit resurgendo, potest intelligi.



(a) Lib. 18. c. 3.

v. 2. Sequebantur Dominum navi eumtem multus populus quia videbant signa, *quae Joannes non refert, pedestres de Civitatibus circumeundo mare, seu lacum Galilaeae* (b) vel forsitan cum Hilario: „ Dei Verbum lege finita, navim concendens relicta Israel Ecclesiam gentium adit, ad quam aliqui de Synagoga tendunt (c) quorum infirmitates infi-

(b) Math. c. 14. v. 13.

(c) In c. 14. Math.

(1) Post haec abiit Jesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis.

(2) Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.

fidelitatis, et caecitatis misertus Dominus
avertit: nosque similiter docent turbae re-
linquentes civitates suas, hoc est (ajebat
Hieronimus) pristinas conversationes. (d) (d)
Vidente Christo è monte, in quem ascen- In c. 14.
vv. 3. 4. 5. derat, ut sese subduceret (e) importunis tur- Math.
6.7.8.9.10. barum studiis, multum populum decimo (e)
circiter die ante Pascha ipsum quaerentem, Calmet ibid.
atque sequentem, benigne eos excepit, atque
eorum aegros ad vesperam sanavit; dixit-
que ad Philippum *unde ememus panes, ut man-
ducent hi, non ignorans nec dubius, sed ten-
tans eum*, atque fidei Apostoli periculum
faciens ut et prodigium luculentius pateret,
et Philippo, sive *ori Lampadis* (f) doctri- (f)
nam abundantius impertiret, coeterosque Gloss.
Apostolos proponere urgeret, ibidem fuis-
se Panes paucos Hordeaceos, atque duos
pisces, sive omnes simul, aut primum An-
dreas

(3) Subiit ergo in montem Jesus: et ibí sedebat cum discipulis suis.

(4) Erat autem proximum Pascha, dies festus Judaeorum.

(5) Cùm sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6) Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

(7) Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

(8) Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri.

(9) Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed haec quid sunt inter tantos?

(10) Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

dreas dixerint: Puerum hos habere cibos qui turbis vim, atque saturitatem quemadmodum olim Gedeoni (g) hordeum victoriam adversus Madianitas, et per Elisaei benedictionem viginti panes centum viris satis, superque fuerunt, impertirent: sed miremur, simulque veneremur tantam Christi, et Apostolorum victus paupertatem, et vilitatem, triplo quippe vilioris pretii quam triticum in Palaestina hordeum ex Apocalipsi non obscure fuisse infertur (h) his verbis *Bilibres tritici denario, et tres bilibres hordei denario.*

(g) Jud. c. 7.

(h) Cap. 6.

v. 11. Accepit Jesus panes in manibus suis ut sese multiplicationis ostenderet auctorem, quam facultatem è Coelo accepisse à Patre ostendit, in sublime oculos elevando: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: vel ut graeca habent exemplaria, *distribuit discipulis, discipuli vero acumbentibus*: quod et Cirillus, et Eutimius tradunt, atque legunt; quae unum idemque significant: Christum videlicet per se, et per Apostolos turbas sustentasse pane benedictionis, similiter, et ex piscibus quantum volebant, seu ut alii legunt quantum volebat Christus, distribuit. Sed quaecumque ab Evangelistis notantur cum iis liceat conferre, quae Apostolus Paulus (i) narrat, ut manifesto apareat Eucharistiam haec omnia mira praesignare. ,, Quoniam Dominus ,, Jesus in qua nocte tradebatur, accepit ,, panem, et gratias agens fregit, et dixit: unde

(i) Ad Cor. 1, cap. 11.

(11) Accepit ergo Jesus panes; et cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantùm volebant.

unde licet pauca Toleti Hispani aferre (j) (j)
non sine magno concilio. „ Evangelistae In cap. 6.
„ haec notarunt voluerunt enim, ea quae Joan.
„ Christus in Eucharistia pane Sacratissimo,
„ fecit, praesignare. Nec tamen novos pa-
nes Dominus voluit facere, seu creare, sed
allatos cumulavit, „ quia veterem scrip-
„ turam non reprobavit, sed aperiendo pa-
„ tefecit. (k) (k)
vv. 12. 13. Tantam reliquiarum copiam fieri voluit, Aug. lib.83.
quo miraculum evidentius evaderet ajebat qq. 61.
olim Victor Ant. (l) et ut magis in fiducia (l)
Apostolos ipse Christus confirmaret, prop- In Marc.
terea duodecim cophini sunt juxta nume-
rum Apostolorum, observavit Chrysosto-
mus. (ll) At non tantum ex panibus super- (ll)
fuere fragmenta sed ex piscibus ut legitur In 16.Math.
apud Marcum, *et sustulerunt reliquias frag-
mentorum duodecim cophinos plenos, et de pis-
cibus*: (m) impleti sunt, et manducaverunt (m)
omnes, et saturati sunt: quod Regius Pro- Cap. 8.
fecta in Eucharistia adimpletum vidit, atque
letanter dixit, *Edent pauperes, et saturabun-
tur*: At docemur etiam Deum liberaliorem
esse donando, quam promitendo: promisit
turbis cibum, tantos atulit, ut non solum
saturati, et impleti sunt, sed superfuerunt
fragmenta: Promisit Deus Moisi Virgam ger-
minaturam, sed post *turgentibus etiam gem-
mis eruperant flores, qui, foliis dilatatis in
amygdalas deformati sunt.* (n) „ Unum pro- (n)
„ mi- Num. c. 17.

(12) Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quae superaverunt fragmenta ne pereant.

(13) Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his, qui manducaverant.

„ misit Deus fructum in Virga, et plures
„ dedit, (o) Judaeis promisit Christus cibum, (o) Orig. in Num.
omnibus hominibus instituit Eucharistiam,
ut ex hoc loco inferebat Paschasius Summus Ecclesiae Pontifex (p) „ Si enim pa- (p) De Euc. c. 7.
„ nes crescunt, et non minuuntur, dum
„ satiant: quid putas caro Christi?

vv. 14. 15. Miraculi magnitudine commoti Judaei Profetam magnum, à Mose vaticinatum (q) (q) Deut. c. 18. Jesum manibus ac vocibus plausere, atque Regem suum inaugurare, excusso Herodis, et Romanorum jugo, cogitarunt, à quo copiam frumenti, vini, olei, auri, et argenti acciperent: Talem etiam nunc Mesiam coeci Judaei spectant, instar Salomonis fruges, et opes eisdem elargientem: ex quo liquet, non ob Christi reverentiam, et amorem, sed spe suarum utilitatum ad id moti Judaei, quorum cogitationes cognoscens Dominus, qui intuebatur cor eorum, licet aliter alii, solus in montem iterum secessit, ne conturbaretur Herodes, et omnis *Hierosolima cum illo* (r) sicut in Magorum interrogatione de Rege nato Judaeorum: (r) Math. 2. Addiscant omnes non tantum honores non quaerendos, nec dignitates magni habendas (s) sed quidquid seditionem sapit, et constituta à Deo imperia detrectare videatur aufugere. (s) Ciril. l. 3. in Joann.

No-

(14) Illi ergo homines cùm vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Profeta, qui venturus est in mundum.

(15) Jesus ergo cùm cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.

vv. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Novum miraculum diversum ab illo simili, quod Matheus, et Lucas capite octavo, et Marcus quarto narrant capite: Sed idem ipsum esse censeo quod Matheus (t) et Marcus (v) alibi tradunt, hìc à Joanne nostro narratur, in quo et si aliqua quae ab aliis notantur, Joannes reticeat, illud certe est in causa, istum suplevisse quae illi non aperuerunt. Venerunt ergo Discipuli trans mare in Capharnaum, transfretantes à parte altera Lacus, seu maris Galilaeae in terra Genesareth siti: Qua in remigatione quatuor fere milliaria illa nocte ventis in contrarium vehementer pugnantibus, percurrerunt, nec ad litus pervenere, antequam Dominum supra mare vidissent, ac velut spectrum timuissent, qui eos leniter reprehendit, ac sua voce timore depulso, fiducia confirmabit, quemque in sua navi recipere conati sunt Apostoli, qui statim fuerunt ad terram Capharnaum, seu genesar juxta Matheum, aut Genesareth juxta Marcum: nec mirum, sunt enim haec parva opidula, quorum praecipua totius Provinciae Civitas est Capharnaum. Sed contra-

(t) Cap. 14.
(v) Cap. 6.

(16) Ut autem serò factum est, descenderunt discipuli ejus ad Mare.

(17) Et cùm ascendissent navim, venerunt transmare in Capharnaum: et tenebrae jam factae erant: et non venerat ad eos Jesus.

(18) Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

(19) Cùm remigassent ergo quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt.

(20) Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.

(21) Voluerunt ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

straria Apostolorum remigatio, ipsorum, et Ecclesiae labores designare judicabat Aug. (u) „tantae sunt tribulationes, ut „ etiam ipsi, qui credunt in Jesum expa- „ vescant:" Sed nolite timere dixit Christus Discipulis, nec timeant fideles pane Eucharistico, mundi fluctus deficiunt, sedanturque, nam parata nobis est mensa, *adversus eos qui tribulant nos* (x) sciant denique qui pie vivere volunt in Christo Jesu, actionis studium, et vitae labores viae, contemplationisque perfectionem fore, nec semper orationi vacandum, descenderunt quipe Discipuli Jesu ad mare.

(u) Tract. 25.

(x) Ps. 22.

Jv. 22. 23. 24. Turba, quam Christus paverat, postero die, non invenientes Jesum, nec navim, in quam potuisset adire Capharnaum, videntes, atque ignorantes ipsum nocte mare deambulasse sicoque vestigio Apostolorum in naviculam ad litus adventasse, certo concilio Jesum sequendi, illumque in Regem sibi creandi, ascendit naviculas, quae è Tiberiade ad litus apulerant, ut ad Capharnaum ascenderent, & Jesum invenirent, quem terra eumtem non vidissent, nec in Apostolorum navim concendisse scirent: Probabile etiam judicamus multum populum

(22) Altera die, turba, quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent.

(23) Aliae verò supervenerunt näves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

(24) Cùm ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quaerentes Jesum.

lum (y) ex iis quos pavit Dominus, & alios ex vicinis opidulis itínere per terram Capharnaum adventasse ut ipsum tanta patrantem viderent. (y) Calm. v. 23.

vv. 25. 26. 27. Invenientes turbae Jesum, ab eo quaerebant quando, & quomodo? huc venisti Rabbi: seu *Magister noster* ut legit Siriaca Versio: quibus Dominus ut ostenderet non fidem, & amorem illos atraxisse, sed spem & ciborum utilitatem respondet, cum Augustino explicabimus „Propter carnem me „quaeritis non propter spiritum": unde similes sunt illis, qui in Ecclesiasticis dignitatibus, & ministerio concionandi cibum quaerunt non Christum; quam multi sequitur Augustinus (z); „non quaerunt Jesum, nisi ut illis benefaciat, vix quaeritur Jesus „propter Jesum." Dominus autem Jesus quem Pater signavit sigillo divinitatis, splendor gloriae ejus, figura substantiae ejus, signum paternae majestatis, Dei Verbum, atque sapientia, docet turbas sive in Litore, vel potius in Capharnaum *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam*: vel ut Arabicus vertit *operamini non ob cibum periturum*: licet enim *omnis Labor hominis in ore ejus sit* (aa), „Oportet vos non omnino deditos esse ventri, sed maxime spiritualem agite curam, nec omnem solicitudinem (bb) in

(z) Tract. 25.

(aa) Ec.

(bb) Theofil.

(25) Et cùm invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

(26) Respondit eis Jesus, et dixit; Amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.

(27) Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

in corporalem cibum insumatis. Asurgit igitur Dominus à cibo corporeo, ad spiritualem, virtutes videlicet gratiam opera bona, ut Jansenio, Maldonato, Bellarminio, aliisque visum est; sed praecipue ad Eucharistiam panem coelestem Angelorum cum Theofilacto, Ruperto, atque Hispano Toleto interpretari liceat. ,, Nec tamen animum cujusquam
,, subeat existimare illis verbis Christi *opera-*
,, *mini* prohiberi Christianis ne operentur,
,, & laborent ut comparent sibi cibum cor- (cc)
,, poralem (cc)" jam enim David (dd) praeci- Parer. in c.
nuit de justis: labores manuum tuarum, quia 6.Joan. disp.
manducabis beatus es, & bene tibi erit. 12. (dd)

vv. 28. 29. Quaesiere Judaei, vel ex arrogantia ut Ci- Ps. 27.
rillo (ee) & Chrysostomo (ff) vel potius ut (ee)
Augustino (gg) bona fide, quid opus erat eis Lib.3. c.30.
ut assequerentur beatitudinem, quos Chris- (ff)
tus docuit, fidem in ipsum, *quem* misit Pa- Hom. 44.
ter, ad vitam aeternam assequendam esse (gg)
necessariam: Nec exultent, plaudantque ma- Tract. 25.
nibus haeretici, fidem hanc sine operibus suficere, nisi opera quae fidem adimpleant, adjiciantur.

vv. 30. 31. 32. 33. Perfidi Judaei non tantum miraculum mul-

(28) Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

(29) Respondit Jesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

(30) Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? Quid operaris?

(31) Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de Coelo dedit eis manducare.

(32) Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de Coelo, sed Pater meus dat vobis panem de Coelo verum.

(33) Panis enim Dei est, qui de Coelo descendit, et dat vitam mundo.

multiplicationis panum habentes, nec magni extollentes, ut propterea in Jesum crederent, jactitabant, *Nonne Moyses dedit patribus nostris per quadraginta annos manna in deserto?* Quibus Dominus declarat, antiquum manna panem de coelo non fuisse; sed tantum panem verum de coelo esse à Patre hominibus datum ipsum Dominum Christum de coelo quotidie descendentem, vitamque universo mundo dantem, non Judaeis solum, qui ideo descendit de coelo per asumptionem humanitatis, ut *vitam habeant, & abundantius habeant.*(hh) Quoties enim Sacerdotes consecrant Eucharistiam, toties Christus verus panis de coelo vitam dat mundo, permanentem in vitam aeternam, atque ipsam etiam corporis vitam melius quam lignum vitae in Paradiso Proto-parentibus â Deo concessum, qui enim manducat hunc panem, resurget in novissimo die. Sed timeant peccatores Judaeorum imitari perversitatem: ne forsitan sese excusent ab ingrediendi via salutis, ajebat olim Chrysostomus (seu quisquis sit autor operis imperfecti) & quemadmodum illi renuant „ cum per „ sermonem docet eos Christus *Quod sig-„ num ostendis?* cum per opera *si tu es Chris-„ tus dic nobis*: ad meliorem sese recipere frugem.

(hh) Joan. 10.

Adhuc Judaei sensibile quiddam suspica-
v. 34. bantur, adhuc ventrem implere spectabant, interpretabatur olim Chrysostomus (ii). Pulcre enim cum Ambrosio (jj) moneamus „ si „ quotidianus est panis (Eucharistiae) cur „ post

(ii) Lib. 3. c. 35.
(jj) Lib. 5. de Sacr. c. 4.

(34) Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

„ post annum illum sumis : sic vive ut quo-
„ tidie merearis accipere."

Ego sum ait Christus panis vitae, cibus
v. 35. quem quaeritis, vitalis, vivificus, per Manna figuratus, permanens in aeternum, qui non perit sicut illud vitae revera, vivificati enim sumus per Christum, qui est panis non *consuetae vitae sed aeternae* (kk). Canamus ergo cum Davide *Portio mea Domine*, qui Aaron dixit (ll). *Ego pars & Haereditas tua.*

(KK) Teof.

(l l) Num. c. 18. v. 37.

v. 36. Jam dixi vobis Magister ad Turbas ut quamvis vidistis me non creditis, docui vos me esse panem vitae, & non creditis : vidistis me miracula facientem, et quinque millia hominum paucis panibus, & piscibus saturantem, & non credidistis in me *Beati ergo qui non viderunt, & crediderunt* (ll ll). „ Beati „ nos verba sunt Chrysostomi (mm) qui in „ unoquoque conventu Ecclesiae eum vi„ demus, quasi diceret (nn) beati sumus, quia „ videmus Christum quando sacrum pera„ gitur, oculis internis credendo consecra„ tionis verbis à Christo, ejusque Ministris „ prolatis, *Hoc est corpus meum* Christi sic „ fruimur presentia, sic perfundimus coelesti „ voluptate. Quid beatius?

(ll ll) Joan. 10.

(mm) Homil. in 9. Dominic.

(nn) Escobaret. l. 2. Sect. 6. ad cap. 6. Joan.

v. 37. Ex iis non estis, Judaei, quos Pater aeternus dedit filio suo, propterea illi non creditis, nec panem vitae comedetis : *vocavit enim vos, & renuistis* (oo) omne enim homimi-

(oo) Prov. l. 24.

(35) Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam.

(36) Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis.

(37) Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet : et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.

minum genus ajebat Christus non ejiciam foras, foras enim hìc significat ex Cirillo, sicut apud Matheum *elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* E grege Christi Judaei non erant, quippe illos Pater non dedit: at non dedit ob animi eorum duritiam, & pervicaciam, vos Judei exitii vestri caùsa. *Perditio tua ex te Israel* (pp). (pp) Osee. 13. 9.
Ex filiis ergo Dei erit judicandus, qui hunc panem avide, & frequenter comedat: vincenti enim dabitur manna absconditum: & sicut ajebat olim R. Barachias (licet mihi non placeant RR. commentarii), ,, fuit Re-
,, demptor primus Moises sic erit Redemptor
,, ultimus. Erit enim placenta frumenti in
,, terra, sicut Redemptor primus fecit des-
,, cendere manna (qq). (qq) In Ps. 71.

vv. 38. 39. 40. Ideo enim Christus carne amictus venit in mundum ut adimpleret voluntatem Patris ejus, qui omnes quos filio suo dedit, salvos facere, ac beatitudine donari sincere, ac eficaci voluit voluntate, ac beari tum beatitudine animarum, quam corporum, ,,totum quippe ,,hìc ait Ambrosius, hominem filius Dei ac- ,, cepit ex Virgine, totum integrum suscitabit" Id est animam, & corpus: quod resurrectionis triunfum Christus, & sibi & nobis reportabit: quam quidem beatitudinem asse-

(38) Quia descendi de Coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

(39) Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

(40) Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resucitabo eum in novissimo die.

sequemur credendo in Filium, qui nobis dat carnem suam panem vivum de coelo manducare, & sanguinem suum bibere ad replendum nos omni voluptate: quam aposite Isaias. *Quare* (rr) *apenditis argentum et non in panibus laborem vestrum, & non in saturitate.... Venite emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum, & Lac.* Quinam cibus seu potus simul est vinum ad voluptatem, & lac ad nutrimentum, & robur, nisi qui datur diligentibus Deum, & qui permanent in vite Christo, hac inebriabuntur voluptate, & simul robore, ut immortales reddantur, & Filius Dei suscitabit in novissimo die.

(rr) Cap. 55. v. 2.

Murmurabant Judaei quia vel se panem
vv. 41. 42. de coelo, suamque doctrinam cibum coelestem diceret Christus, vel forsitam quia se è Coelo lapsum, Moyseque exellentiorem praedicaret, intellexerant saltem plurimi Judaei Christum Filium Dei esse, & de Coelo non de terra suam trahere originem, ideo quaerunt contemnendo *nonne hic est filius Joseph?*

Quibus praecepit Dominus ut sibi non
vv. 43. 44. detraherent, nullam quippe causam eis dederat: veritatem dico vobis, sed eam non

C ca-

(41) Murmurabant ergo Judaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi.

(42) Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de Coelo descendi?

(43) Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem.

(44) Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

capitis, quia non estis è meo ovili, oves meae vocem meam audiunt: atendite, et pertimescite incircuncisi Judaei *qui dilexistis tenebras magis quam lucem* nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, qui credunt in me resuscitabunt in novissimo die, at nemo potest in me credere, nisi Pater eum trahat, ut credat, trahat non vi, & necessitate, ut somniarunt Novatores, sed unusquisque trahitur auxilio, dono, & adjutorio, audiatur Aug. (ss), ,,noli cogitare te invitum trahi, trahitur animus, & amore: ideo ergo vos Judaei me non auditis, quia Patris mei vocem nec audistis, sed semper renuistis, ideo vos me spernitis Filium Dei, nec de coelo descendisse, sed Joseph, & Mariae: At animadvertite, haec Maria terra est benedicta benedixisti quippe cecinit David Domine terram tuam, quae protulit triticum, & vinum de pinguedine terrae, sed est etiam Coelum proferens panem coelestem de rore Coeli, juxta senem Isaac vestrum Jacobum benedicentem: *Det tibi Deus de rore coeli, & de pinguedine terrae abundantiam frumenti, & vini* (tt) Nolite ergo jan murmurare: Me Dominum non detractione percutiatis: Caveamus Praelatos Ecclesiae detractari (uu) nec enim contra ipsos *est murmur sed contra Dominum.*

(ss) Tract. 26.

(tt) Genes. 17.

(uu) Exod. 16.

v. 45. 46. Novum suadere conatur Judaeis, atque exhibere argumentum Christus Dominus ex Isaia desuntum (xx) *Ponam omnes filios tuos doctos à Domino*, vel Pribabilius ex Jeremia

(xx) Cap. 57. v. 13.

(45) Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me.

(46) Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.

mia (yy) etiam Exequiele (zz) atque Joele (aaa) erunt omnes docibiles Dei, id est ex omni Gentium genere hi venient ad me, qui Patri meo obedientes ipsum audiant, meamque doctrinam ab illo acceptam assequantur, quos ipse ad me trahet, non vi aut necessitate sed illustratione, quosque verba sunt Aug. „ docendo delectat" illud tamen animo ne fingatis, humana at sensili aliqua sub specie Patrem meum vos edocturum: nemo quippe eum vidit, nec Moyses aut Patriarchae oculis corporeis ipsum intuiti sunt, solum ego qui exivi è sinu Patris. Si ergo fideles vultis audire vocem patris, verba mea audite, accipite panem meum, ea puritate qua decet filios Dei *est enim vere panis filiorum* praecinuit Angelicus Preaceptor (bbb)

(yy) C. 31. v. 33.
(zz) Cap. 8.
(aaa) Cap. 2.
(bbb) In of. Corp.

vv. 47. 48. Quae dixerat Christus v. 40 iterum docet, *qui credit in Filium habet vitam aeternam*, et quasi jurejurando afirmat (nam rudes Judaei nec Profetarum oraculis dociles, et fideles acquiescebant) ut ad se traheret, edoceretque eos quos trahit Pater, credere ipsum Christum *panem vitae esse* iis à quibus cum vera, vivaque fide comeditur, nam ut ajebat Aug. (ccc) „ Valde remota est à „ sensibus carnis haec schola, in qua Pater „ auditur, et docet ut veniatur ad Filium, „ nec agit haec cum carnis aure, sed cor„ dis. "

(ccc) Lib. 1. de Praed.

Aten-

(47) Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam.

(48) Ego sum panis vitae.

vv. 49. 50. Atendite discrimen quod interest manna inter, et me ipsum panem vivum de Coelo descendentem, Patres vestri illud manducaverunt in deserto, et mortui sunt: Qui vero ex hoc pane manducaverit non morietur, nec quoad animam, quae vivet in aeternum, nec quoad corpus, quod hujus panis virtute gloriosum resurget (et licet aliter graves explicent Doctores, peritissimo hispano Maldonato assentimur) Quandam Christus hîc comparationem manna inter, et panem Eucharisticum instituens, hujus exellentiam ex mayori virtute animas, et corpora vivificandi, ostendit, nam antiquum Manna veterum Patrum corpora non potuit ad vitam revocare: Sed qui manducaverit ex hoc novo Manna de Coelo descendente non morietur. O! quam suavis, et dulcis resurrectionis memoria. Justorum animae, atque corpora hujus panis virtute resurgent.

Iterum Christus Dominus ut versibus 33.
v. 51. 35. 50. seipsum declarat panem vivum, comedentes vivificantem, cum manna esset in se inanime, et mortuum nec vere de Coelo descendisset, quemadmodum Christus Verbum Patris, qui de *Coelo descendit*, „ cum de Coelo cibum quaererent Judaei, „ docebat Chrysostomus, ideo frequenter se „ de Coelo descendisse testatur.

Post-

(49) Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.

(50) Hic est Panis de Coelo descendens: ut siquis ex ipso manducaverit, non moriatur.

(51) Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi.

v. 52. Postquam Christus egit de pane spirituali, qui est verbum, hîc consequenter agit de pane spirituali, qui est Sacramentum, multoties de hoc pane agit Christus: ut ex repetitione hujus sententiae Judaeos excitaret ut ejus quaererent sensum: Sed audiant Judaei, audiant etiam Novatores, audiant Excatholicis Quid hic sit panis! Caro nimirum Christi. Dominus ergo promisit quod pridie mortis celebrando Pascha Judaeorum, cum Discipulis suis adimplevit, cum dixit eis accipiendo panem in manibus suis, comedite, *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: hoc est, non azimi panes, in quibus venerabile instituit Sacramentum, sed corpus meum ipsùm, quod pro vobis tradetur, et quemadmodum tradetur semel in Cruce pro mundi vita, quotidie etiam haec caro mea pro mundi vita erit: est hic panis ajebat Theofil:*Caro Christi, non figura ejus carnis*: promisit hìc Christus quod olim desiderabant, amantes servi Job dicentes; quis det de carnibus ejus ut saturemur: „ Id sane praestitit Dominus, verba sunt Chrysostomi qui quo se arctiore „ nobis charitate astringeret non solum vi- „ deri se à nobis, et tangi, sed etiam man- „ ducari voluit.

Litigabant Judaei, seu *rixabantur alius*
v. 53. *cum alio* ut legit Siriaca Versio, quomodo posset Christus carnem suam dare ad man-

(52) Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

(53) Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

manducandum, difidebant de ejus potentia ad institutionem hujus Sacramenti, nec acquiesebant ut caro Christi foret in posterum hominum cibus, sed humiliter credamus verum Christi corpus à nobis in Eucharistia sumi, ubi adest vere, realiter, ac substantialiter; *Ortus est enim* ut cecinebat Malac. (ddd) *nobis timentibus sol justitiae, et sanitas in pennis ejus.* Quam dulcis, et rectus Dominus! „Cibus vere dulcis est, de- „ vote Gregorius, corpus, et sanguis Chris- „ ti: ea ergo mentis puritate asumamus „ ut possimus accipere vitam.

(ddd) Cap. 4.

vv. 54. 55. Nisi ergo manducaverimus Carnem filii hominis, et biberimus ejus Sanguinem non habebimus vitam in nobis, nec resurgemus in novissimo die; hic enim cibus, hic panis Eucharisticus vere panis est vitae potius, quam lignum illud in medio Paradisi positum, ne ergo jam timeamus adimplere praeceptum Domini, necnon et saltem quotannis ut Ecclesia praescripsit (eee) accedamus ad hanc mensam; ad hoc lignum quod „non tantum dat vitam,ut ajebat Theo- „ doretus (fff) sed bene vivere, et semper „ vivere. Concipiamus ergo ex hoc ligno vitae afectum amoris ut devote excitat Bonaventura, (ggg) atque ex duplici specie institutum Sacramentum fateamur, ex pane et vino id est ex carne Christi, et ex ejus Sanguine.

(eee) Conc. Lat. Trid.

(fff) QQ. in Gen.

(ggg) In 2. sent.

Que-

(54) Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

(55) Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

v. 56. Quemadmodum cibi, et potus efectus est manducantibus, et bibentibus vitam dare, ita Christus rationem reddit ejus quod hoc accipientibus Sacramentum non solum vita conceditur nunc per gratiam, sed novissimo etiam die per gloriam, caro enim Christi, et sanguis ejus vere potus, et cibus est, quod per transubstantiationem ex pane in corpus, et vini in sanguinem Christi fieri cum Ecclesia Catholica explicamus, atque sustinemus, non parabolice, non mistice tantum sed vere cibus, vere potus est: Hanc enim mensam edificavit sapientia, *quae immolabit victimas suas* (hhh) (justa Tertulianum *jugulabit filium suum*) *miscuit vinum proposuit mensam suam* Timeant peccatores ne hoc epulum misceatur non enim exsolventur foeces ejus nam *calix in manu Domini* (iii) *vini meri plenus mixto - fex ejus non est exinanita bibent omnes peccatores* ,,At non ,, vos terreat dicemus cum Aug. humiles ,, corde, nam peccatores bibendo foecem ,, evanuerunt, vos bibendo vinum justifi- ,, cati estis. (jjj)

(hhh) Prob. c. 9.

(iii) Psalm. 74.

(jjj) In Joan.

v. 57. Arctior nullus est modus conjunctionis quam per ciborum concoctionem cibis nimirum in comedentis substantiam conversis, ita per sumptionem hujus Sacramenti corpus, et sanguis noster cum corpore, et sanguine Christi conmiscetur, redduntur enim membra nostra ut Apostolus (kkk) *membra Christi* ac propius quam per fidem, et Chari-

(KKK) Ap. ad Cor.

(56) Caro enim mea, verè est cibus: et Sanguis meus, verè est potus:

(57) Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

ritatem manet in nobis Christus, stabilimur enim verius quam Jacob. (lll) frumento et vino, nam coelisti hoc pane filios suos in virtute Christus reddit stabiles, ut praedixerat Oseas (ll ll ll) *vivent tritico* ubi septuaginta *vivent et confirmabuntur frumento*, hic enim *panis cor hominis confirmat* (mmm) vel ut eleganter Hieronimus *erit memorabile triticum*.

(lll) Genes. 27.

(ll ll ll) Cap. 4.

(mmm) Ps. 103.

Christus docet eximia, atque egregia com-
v. 58. paratione ex vita sibi à patre vel per aeternam generationem, vel potius per temporalem (licet aliter alii) communicata, atque per unionem hipostaticam Divinitatis accepta, ipsum vita Patris vivere, ita qui ipsum manducat in hoc Sacramento, propter unionem qua in eo manet, vivet vita Christi, atque in eo suscitabitur. Laetare ergo et exultato Juste, audi vocem Domini Dei tui, qui ipsius Dei virtutes in hac mensa participas *tu* (vere) *homo unanimis Dux meus, et notus meus* (nnn) arctissimo vitae, et amicitiae vinculo Christo adhaerens, quo cum *simul dulces capiebas cibos* (ooo) in Domo Dei ambulabas cum consensu: eadem quippe in Dei obsequium opera agis quam Christus cui propter hunc cibum redderis unanimis: „ Fiant ergo Christiani corpus Christi si volunt vivere de spiritu Christi. (ppp)

(nnn) Ps. 54.

(ooo) Ibidem.

(ppp) Aug. hom. 26. in Joan.

vv. 59. 60. Augustissimi hujus Sacramenti doctrinam

(58) Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

(59) Hic est panis, qui de Coelo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

(60) Haec dixit in Synagoga docens, in Capharnaum.

nam tradidit, atque obclusit Christus Dominus in publica synagoga Capharnai, ubi frequentissima concione promisit publice quod postea unis Apostolis testibus instituit, suumque de hoc sermonem persolvit hujus panis excellentiam prae antiquum Manna declarans: sed timeant Fideles Apostolum docentem, *omnes* (veteres) *eamdem escam spiritalem manducaverunt sed non in pluribus eorum beneplacitum Deo* (qqq) nam postrati sunt in deserto quia indigne typum Eucharistiae receperant. Arcendi ergo sunt, removendique ab hac mensa publici peccatores, nec *Sanctum licet dare canibus.*

(qqq) Ep. 1. ad Cor.

v. 61. Non tantum duris, vel dificilis ut habet Versio Arabica, seu austerus, ut Graeca, vel qui aegre admittit potest ut legit Eutimius, visus fuit multis ex Discipulis Jesu sermo quem dixerat de carne sua manducanda; sed ita intolerabilis, ut Chrysostomus vertit, duris, ac incircumcisis Judaeis ut nemo poset nec credere, nec admitere, sed neque ullo modo audire. Proh dolor! quam multi hoc Sacramentum dilacerant, ut canes, de quibus Dominus quaeritur per Davidem (rrr) *circumdederunt me canes multi* in quae aposite Athanasius (sss) „ubi „cadaver, ibi et aquilae: sed ut canes ac„cedimus.“ Tanta nostra est impudentia. Probent ergo se, non distribuentes, sed omnes qui hoc corpus accipiunt.

(rrr) Ps. 21.

(sss) Orat. de Para.

Cog-

(61) Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?

vv. 62. 63. 64. Cognocens Dominus ocultas Discipulorum oblocutiones dixit, hoc vos scandalizat? audite, qui praeceptum statuit de comedendo ejus carnem, accendet gloria indutus, ubi erat prius, veritatemque Eucharistiae, ex sua mirabili in Coelum ascensione confirmat: ad retundendam autem crassam Capharnaitarum intelligentiam docet, ut licet vere, et realiter suam manducare carnem praeciperet, non tamen ferino et terreno sensu haec intelligenda fore, sed spiritali, occulto atque sacramentali modo illam manducari oportere „nam necesse „ est ajebat Aug. (ttt) hoc sacramentum „ visibiliter celebrari, oportet tamen invi- „ sibiliter intelligi.“ Desine ergo exultare Novator Capharnaita Calvine mistica corporis Christi manducatio tua sententià satis non est: impleri debet praeceptum Domini de manducatione corporis, et sanguinis Christi: Bedam audito „ sicut caro Christi „ explicantem non tantum ex eo, quod „ caro sit, virtutem vitae aeternae confert, „ sed ex eo praecipue quod ex spiritu uni- „ geniti à Patre sit animata, vitam confert „ aeternam, ita similiter licet praecepta sit vera, et realis manducatio corporis Christi, non carnali illorum sensu dentibus perimenda est, sed spiritali intelligentia sumenda est;

(ttt) In Ps. 98.

(62) Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

(63) Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?

(64) Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

est; ad recipiendum ergo Coeleste Sacramentum ad Coelum opus est animum avolare: Eliae Panem subcirenicium comedenti Angelus praecepit, *surge, et comede* et ambulavi in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei: „ Eucharistico epulo nos re„ fecti, verba sunt Pascasii Pontificis ad al„ tiora in fortitudine transeamus:“ ubi enim est corpus Christi velut aquilae congregemur; „ oportet ergo, pulchre ajebat Chry„ sostomus (uuu) qui ad hoc Christi acce„ dit corpus Aquilam esse sublimem, et „ cum terra nihil habere commune.“

(uuu) Hom. 24. in Epist. ad Cor.

vv. 65. 66. 67. *Ab initio* ab aeternitate sciebat Jesus eos qui à Patre suo non erant dati sicut v. 44. explicuimus, in eum non fore credituros, ab eoque recessuros, dicentes durus est hic sermo, „ durus ait Aug. sed incredulis, du„ rus hic sermo, (xxx) ipsi erant duri, non „ sermo, si non duri essent discerent ab illo, „ quod illis discedentibus, qui remanserant „ didicerunt. “ Sed abierunt retro, post Sathanam interpretabatur Aug. ex illo Apostoli (yyy) *Quaedam conversae sunt retro post Sathanam.* Sed animadvertamus, in via Spiritus ipsum non progredi regredi esse, nam *multi Discipulorum abierunt retro, quia jam non cum illo ambulabant.*

(xxx) In Ps. 98.

(yyy) 1. Tim. 8.

Jesus

(65) Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.

(66) Et dicebat Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

(67) Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro: et jam non cum illo ambulabant.

vv. 68. 69. 70. Jesus „ neque adulatus (zzz), verba sunt „ Chrysostomi, nec expulit sed interrogavit „ non quod eos contemneret, sed ne vi te- „ nere videretur *et vos vultis abire*? Vos quos dedit mihi Pater, quosque ad me traxit, ofensi, et scandalizati vultis â me recedere, sed duodecim remanserunt „ nam hîc „ dicebat Aug. nec Judas recessit.“ Sed Petrus aliis ferventior, ordine major, fide firmior pro omnibus respondit. *Ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes*: „ non „ dura interpretatur Cirillus ut illi Caphar- „ naitae, sed aeterne vitae habes, quae con- „ ducere credentes posunt ad vitam incor- „ ruptibilem. hinc discimus unum duntaxat „ Christum sequaendum esse Magistrum „ qui ad vitam aeternam deducere potest.“ Et nos credidimus, seu *certi sumus* (aaa), & cognovimus ex tot, tantisque miraculis, ex doctrinae tuae santitate, quia *tu es Filius Dei vivi.*

(zzz) In Joan.

(aaa) Arab. versis.

vv. 71. 72. Sed restitit in faciem Petro Christus, scito te falli, unus ex vobis Diabolus est, à me recedet, Poenitentiam non aget, supliciis amandabitur aeternis: Diabolus est imitatione, & similitudine, me tradet Principibus Sa-

(68) Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?

(69) Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.

(70) Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.


(71) Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est?

(72) Dicibat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm esset unus ex duodecim.

Sacerdotum postquam de corpore,& sanguine meo accipiet, quod cum Aug. & Hieronim. (licet renuant gravissimi interpretes) probabilius judicamus. „ Numquid ajebat „ Hieronimus (bbb) quia & Judas de eodem „ Calice bibit de quo & coeteri Apostoli, „ unius cum reliquis erit meriti? Sed timeant Peccatores judicium sibi manducare, et bibere, si ad hoc accedant sacramentum ut Judas, timeant ne sicut ille, coedem accipiant aeternam : „ edebat, verba sunt Chry- „ sostomi (ccc) cum pane coedem, et sor- „ bebat cum potione sanguinem : ipse Ju- „ das in epulas Carnifex:" sed timeant etiam mortem Corporis, dicente Apostolo de indigne sumentibus Eucharistiam, *ideo dormiunt multi.*

(bbb) Lib. 2. In Jovin. cap. 4.

(ccc) Hom. 3. de Resur.



1) i 25016040
2) i 2350464X
3) i 2351100X
4) i 23486156
5) i 23513780
6) i 23504626
7) i 29127129
8) i 23467721
9) i 2360279X
10) i 2350903X
11) i 23512799
12) i 23523153
13) i 23612873
14) i 2346656X
15) i 2361397X
16) i 2347919X
17) i 23611613
18) i 23527869
19) i 23462346
20) i 23608365